



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Contemplatio XI. De Mundo Vivente & Animato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

Ferrum est singulariter temperaturæ patiens: extinctum in aceto vel succo raphani acerrimum evadit, & malleo intractabile: extinctum in succo fabarum, malvarum, vel in oleo lenius est, & phlebotomiæ aptissimum: extinctum in aqua frigida, durius exit. Ratio primi forsan est, quod acria corpuscula meatus omnes obstruant, ut tendi non possit. Ratio secundi, quod pinguior succus partium juncturas emolliat. Ratio tertii, quod calor ferri per antiperistasin collectus humorem ingenitum consumat. 2. Rubigo ferri principiis iisdem nascitur, quibus, ut supra vidimus, ærugo cupri, utque liquida pix arceæ æruginem, sic oleum inhibet rubiginem. 3. Chalybs nil aliud est, nisi durior & purior ferri portio: puritatem habet à multiplici coctione, duritiem à varia temperatione.

CONTEMPLATIO XI.

De Mundo Vivente & Animato.

Vivere patet latius, quàm animari, siquidem DEUS & Angeli viventibus annumerantur, non tamen animatis; cum in ipsis non reperiatur principium activum simul & passivum realiter distinctum operationum vitalium: quare, ne fiat confusio, oportet animam à vita distinguere, quod distinctis capitibus præstabimus.

CAPUT I.

De Anima in genere.

Dari animam, quæ sit forma quædam substantialis corpori intimè unita, ac prima radix operationum illarum vitalium, quas in viventibus deprehendimus, jam satis probatum est Contemp. II. ubi simul ostendimus, animam nec in machinæ dispositione, nec in elementarium combinatione consistere. Ex iisdem fundamentis refutatur Galenus, qui docuisse videtur; animam consistere in primarum qualitatum temperamento. Intolerabilior adhuc est Manichæorum error, qui docebant, animam saltem humanam esse particulam Divinitatis, quam in rem ait Philo celeberrimus inter Judæos scriptor: quomodo credibile videtur, tam exiguam mentem humanam, membranula cerebri aut corde, haud amplis spatiis inclusam, totam cæli mundique magnitudinem capere, nisi illius Divinæ, felicisque animæ particula esset indivisibilis. Sed opinio hæc meritò damnata est in Concilio Bracarenfi, & refutatur à S. Aug. in lib. de orig. animæ cap. 2. hac ratione: quia si anima esset Divinæ mentis particula, vel Deus esset mutabilis, quod, ut ostendit S. Thomas, à natura Divina procul abest, & ut ait ipsa veritas æterna: *Ego DEUS, & non mutor*; vel anima esset immutabilis, quod itidem falsum est, ut patet ex continuis ferè ejus mutationibus. Ad rationem Philonis dico; inde nobilitatem animæ probari, non Divinitatem.

§. I.

Quid & quotuplex sit Anima?

Anima definitur ab Aristotele: Actus primus corporis naturalis organici potentia vitam habentis. Dicitur *Actus primus*, hoc est, forma substantialis, quæ sit aliarum secundarum & accidentalium radix, vel effectiva vel exigitiva, adeoque ipsa prior sit, saltem prioritatem intentionis, dignitatis, & perfectionis, actuans seu informans aliam partem, aut saltem ad illam aliquando informandam ordinata. Dicitur 2. *Corporis naturalis*, hoc est, compositi Physici substantialiter completi à natura intenti, cujus ipsa est pars intrinseca, dum partem informat aliam. Dicitur 3. *Organici*, quia corpus illud debet habere saltem inchoative vel radicaliter organa, seu instrumenta ad functiones vitales necessaria, quæ exiguntur ab anima. Dicitur 4. *Potentia vitam habentis*, id est, vitam in actu secundo, seu operationes vitales, quas corpus, seu compositum illud substantialiter completum potest elicere & recipere: nam in actu primo compositum illud naturale est per animam actu vivum.

Anima dividitur in vegetativam, sensitivam, & rationalem. Ratio petitur à diversis operationibus vitalibus: quædam enim, uti plantæ, solas habent operationes vegetativas: alia, uti bruta, etiam sensitivas: & homo simul etiam habet rationales; ergo cum triplicis generis operationes vitales diversis in suppositis inveniantur, totidem principia, seu animæ assignandæ sunt.

§. II.

De unitate & distinctione Animarum.

Duplex hic est error crassissimus, quem retulisse, refutasse est: alter Averrois, qui volebat, unam in omnibus esse animam; alter Pythagoreorum, qui docebant, omnes animas ejusdem esse rationis, & de uno corpore in aliud transmigrare, quam migrationem Græci *Metempsychosin* dicunt, ita ut anima, quæ hodie ratiocinatur in homine, cras mugiat in bove, rudat in asino, coaxet in rana. Errorem hunc sequuntur adhuc hodie Brachmanes Indi; hinc cæci illi beatissimam se morte defunctos putant, si vaccæ caudam manu tenentes, efflent spiritum, rati, hac ratione animum in vaccam intraturum, nobiliorem haud dubie sedem, quam si in vilis animal ingrederetur. Primus error jam refutatus est, ubi ostendimus, non dari animam toti mundo communem, atque etiam damnatus est in Conc. Lateranensi.

Secundus quoque error per hoc refutatur, quod ex constanti & stabili proprietatum, atque operationum diversitate arguamus in distinctis suppositis diversas radices sive principia; sed in homine, bruto, & planta, imò inter ipsa bruta & plantas datur ingens & stabilis hujusmodi diversitas: ergo diversæ sunt radices seu animæ. Confirmatur ratione Aristotelis, quia quemadmodum ex diversitate officinarum, instrumentorum, & operum diversitatem colligimus artium; ita ex diversitate corporum, organorum, & operationum diversitatem colligimus animarum.

Quæstio tamen non ignobilis agitur de hominum animabus, an nempe istæ

istæ differant specie? qua in re communior & probabilior videtur sententia, quæ asserit, animas rationales ejusdem esse speciei ac in perfectione essentiali æquales, quamvis opposita magnam quoque habeat Auctoritatem; illam enim docuerunt Albertus M. Scotus, Cajétanus, Arriaga, & alii, ut dictum est, ubi de unione. Ratio id opinandi est, quod non habeamus sufficiens indicium de hac essentiali animarum inæqualitate: si quod enim esset, haberetur ex diversitate operationum & organorum in diversis hominibus; hoc autem non est sufficiens indicium, cum similis diversitas in eodem homine, quamvis utique non mutet animam, successivè reperiatur: idem enim homo nunc est æger, nunc sanus, nunc ingeniosus, nunc stupidus, nunc rationis compos, nunc impos &c. quare diversitas hæc potius refundenda est in alias temperamentorum causas, cum intrinsecas, tum extrinsecas, de quibus alibi.

Confirmatur, quia si in hominibus admittatur essentialis inæqualitas animarum, etiam admittenda videtur in brutis ejusdem speciei, v. g. inter plures equos ob paritatem rationis; sicut enim unus homo est altero ingeniosior, agilior, &c. ita unus equus est altero generosior, fortior, agilior: at in brutis hoc admitti non potest; aliàs equus minùs generosus, minùsque fortis & agilis, nunquam posset generare equum generosiores, fortiorem; cum alias effectus esset essentialiter perfectior suâ causâ; sequela est contra experientiam: ergo. Et certè hac ratione magis & magis semper deficeret perfectio specierum, cum equus perfectior sæpè generaret equum imperfectiorem; iste autem nunquam generare posset alium se perfectiorem.

Rationes contrariæ.

A Criter olim disputatum fuit, utrùm anima Christi non esset perfectior animâ Judæ; quod quidem negare, à quibusdam insinulatum est erroris. Deinde Salomon Sap. 8. gloriatur, sortitum se esse animam bonam: & cum esset magis bonus, venisse se ad corpus incoquinatum: ergo & anima Christi perfectior est animâ Judæ, imò omnium perfectissima, & anima Salomonis perfectior, quàm alius hominis. Quid actum sit in hac controversia, non inquirō: Anima Christi perfectior equidem est animâ Judæ, & omnium hominum, si spectetur, ut ornata omnibus naturæ, gratiæ, & gloriæ donis; si tamen absque istis consideretur, neutiquam infertur major ejus perfectio essentialis, neque in hoc sensu error est: quin imò huic opinioni favet ipsa Script. quæ ad Philip. 2. dicit, quod Christus sit *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Item ad Hebr. 2. de Christo dicitur: *Unde debuit per omnia fratribus assimilari.* Similiter anima Salomonis plerisque aliis perfectior fuit accidentaliter, ut dicunt, non substantialiter. Anima Salomonis ex se bona erat, uti omnium hominum anima bona est; melior autem fuit, quia pluribus ornata donis. Imò S. Aug. Lib. 10. de Gen. ad Lit. c. 17. ita legit: *Sortitus sum animam bonam, & ut essem magis bonus, veni ad corpus incoquinatum.*

Contra tamen pugnas etiam ratione: nobiliores enim operationes, quales deprehenduntur in quibusdam hominibus, arguunt utique nobiliorem radicem; aliàs defendi poterit cum Pythagoricis, unam esse specie animam in brutis omnibus, totamque operationum diversitatem refundi posse in dispositiones varias. Sed distinguendum est inter operationes, quæ determinatè à suo principio exiguntur, & inter illas, quæ hinc & nunc eliciuntur propter meliores dispositiones. Videmus autem ab eodem homine puero & sene, sanæ mentis &

& stulto diversissimas successivè operationes elici, quæ utique non in diversas radices seu animas, sed in diversas dispositiones refunduntur, & tamdiu refundi debent, quamdiu non habetur sufficiens fundamentum dicendi contrarium; quin & similitudo hominum à communi patre Adamo descendentium plurimum convenire videtur, si de similitudine essentiali sermo sit: nam aliunde à diversis temperamentorum causis repetenda est diversitas hominum accidentalis, quæ ad gerenda varia reipublicæ humanæ munia erat aut utilis aut necessaria.

Sequela & paritas de brutis nulla est: imprimis enim differentia inter bruta constans est, & universalis, nec enim unquam videmus mugire leonem, aut bovem sibilare, aut latrare felem, sicuti vidimus hominem in sapientem aut insipientem mutatum: ergo in priori casu meritò agnoscimus stabilem radicem substantialiter diversam, quamvis in posteriori diversitas accidentalis sufficiat.

2. Diversitas inter homines non est ita notabilis, ac inter bruta diversa; nam prior se habet, sicut calamus subtilior ad obtusorem; secunda verò sicut calamus & malleus: ergo sicut instrumentum ejusdem rationis, licet nonnihil imperfectius, adhuc ad eundem ordinatur finem, ac proinde ad eandem artem pertinet, ita de homine & homine dicendum: quamvis diversitas notabilis organorum, v.g. piscis & bovis, satis indicet diversitatem finis per se à natura intenti, sicut diversitas notabilis instrumentorum indicat diversitatem artium specificam. Hinc quisquis prudens est, aliam videt diversitatem inter canem & serpentem, quam inter canem & canem.

Sed ad quid anima æqualis in cæco & surdo à nativitate, in perpetuò amen-
tibus, & aliis, in quibus non potest modo sibi condigno operari? vel si inesse possit corpori, carenti organis ad operationes sibi proprias requisitis, cur non esse possit anima æqualis in diversis brutis? At organa quædam ad operationes homini proprias semper habet aut habuit anima: surdus & cæcus, etsi careant organo visus, non tamen desunt alia homini propria: amentes ipsi vix sunt ita sine mente, ut non plures exerceant operationes, quæ manifestè aliquem rationis usum indicant. Deinde organorum in ipsis conformatio est per se apta ad ratiocinium, aut saltem talis fuit inchoativè, dum infusa est anima, licet postmodum sit ad istud per accidens reddita inhabilis; ut evenit in ebrio, dormiente, vel ægroto, in quo propterea non mutatur anima. Vel si contendas, nulla unquam fuisse talia organa, ipsam animam rationalem excludis, nedum perfectiorem. Bruta autem ex natura sua diversa habent organa ob fines omnino diversos à natura intentos: diversum igitur ipsis inest principium eorum vel effectivum vel exigivum.

§. III.

An in eodem vivente plures simul sint Animæ?

PLATO, quem secutus dicitur Galenus, existimabat in homine dari tres animas, non solum realiter distinctas, sed etiam loco & subiecto separatas: unam rationalem velut principem collocabat in cerebro, alteram sensitivam & irascibilem in corde, tertiam nutritivam & concupiscibilem in hepate; quod explicavit exemplo civitatis bene ordinatæ, in qua requiruntur tres hominum classes, nempe senatorum, militum & plebejorum.

H h

Alter

Alter error fuit Manichæorum, duas rationales animas in unoquoque homine statuentium, unam bonam à bono Deo profectam, alteram malam à malo Genio procreatam. Has duas animas inter se pugnare in corpore afferebant; nec enim inclinationum pugnam, quam experimur, ab una eadêmeque anima proficisci posse existimabant. Hos secuti sunt alii, qui volebant in homine unam animam esse rationalem & immortalem, alteram mortalem & sensitivam, quia concupiscentia resistit rationi, juxta illud Apostoli ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

Sed communior propè omnium, non Philosophorum modò, sed & Theologorum, ac SS. Patrum sententia post Arist. 2. de Anima T. 3 1. dicit, unicam dari animam in eodem vivente, quæ in homine simul est rationalis, sensitiva, & vegetativa: in brutis sensitiva simul & vegetativa, in plantis vegetativa tantum. Probatur 1. negativè, quia nulla est penitus necessitas, aut utilitas distinguendi animas in eodem vivente: sicuti enim ab eadem anima rationali juxta adversarios procedunt apprehensiones, judicia, ratiocinationes, actus amoris & odii &c. ab eadem sensitiva visio, odoratio, auditio, &c. ita ab eadem anima rationali oriri poterunt sensationes, vegetationes, & ratiocinationes: & revera experimur operationes nostras provenire à nobis, tanquam ab eodem principio, quod sentit, intelligit, ratiocinatur.

Prob. 2. ratione Mauri lib. 5. q. 6. Anima concupiscibilis non potest appetere jucunda, & refugere molesta, quin illa cognoscat: rursus irascibilis non potest irasci & pugnare, nisi concupiscat bonum, pro quo pugnat: ergo irascibilis est simul concupiscibilis, & cognoscitiva. Conf. 1. quia si anima rationalis non esset simul sensitiva, non esset vera & propria forma hominis, seu animalis rationalis; sequela est erronea, ut Contempl. II. vidimus: ergo. Conf. 2. ratione Theologica: In morte Christi, vel anima ejus sensitiva fuisset extincta, vel non? si primum, ergo Sanctum ejus vidit corruptionem, & quod semel Verbum per se & primario assumpsit, dimisit, contra axioma Theologicum. Si secundum, ergo vel mansit in sepulchro corpori unita, quod proinde non fuit verè mortuum; vel descendit ad inferos cum anima rationali, vel fuit alibi, quæ omnia, ut ait Toletus, sunt erronea. Accedit Auctoritas Conciliorum, Patrum, Doctorum, qua de re videri potest S. August. lib. de Ecclesi. dogm. cap. 15. contra Manichæos.

Respondetur ad rationes oppositas.

Imprimis ad argumentum Platonis de civitate dic, non esse paritatem saltem omnimodam: hæc enim est unum totum per aggregationem, constans pluribus distinctis realiter hominum classibus, ubi unus homo non sufficeret exequendis omnibus Reipublicæ muniis; at verò anima facit unum totum per se cum corpore, quod physicè informat totum, atque adeò sufficit ad omnes operationes vitales, quæ ab eodem homine procedunt, exercendas.

Neque urget argumentum Galeni ex tribus præcipuis organis, seu officinis corporis humani, nempe ex cerebro, corde, & hepate, inferentis diversitatem trium animarum in his laborantium: sicut enim idem citharædus pro diversitate fidium diversos edit sonos, ita eadem anima, diversa in diversis elaborare poterit officinis, si in eodem existant supposito. In cerebro nempe elaborare potest spiritus animales, qui per nervos in cerebro radicos ad omnia membra dispensentur, & serviant sensationibus: in officina cordis, spiritus vi-

tales

tales deservientes motui, quos per arterias in totum corpus diffundit : in hepate sanguinem perficere, nutritioni servientem, ac per venas distributum, Profectò, si tot admittendæ essent animæ, quot organa, plures admittere cogereetur Galenus. Ad rationem Manichæorum dic, non dari pugnam inter diversas animas, sed inter diversas ejusdem animæ inclinationes, quæ ex diversis objectis & motivis animæ propositis oriuntur.

Alii sic argumentantur : anima rationalis est immortalis, & post mortem hominis remanet : anima sensitiva non remanet, cum post mortem non detur potentia sentiendi, & si remaneret, esset frustrà & inutilis. Item anima rationalis est omnis augmenti incapax : ergo non potest esse vegetativa. Sed hæc facile distinguuntur : non datur post mortem potentia sentiendi completa, con. incompleta, nego. Erutis oculis, defectu organi non potes videre, & tamen manet juxta te potentia videndi saltem incompleta, cum remaneat anima sensitiva, quæ potest alias sensationes elicere ; unde distinguo, quod additur : anima sensitiva frustrà existeret, si nullas posset operationes elicere, con. si possit aliquas, ad quas à natura ordinata est, quales sunt intellectiones, & volitiones, nego. Alterum quoque dist. est augmenti incapax, id est, non potest sibi adgenerare novas partes animæ, con. non potest sibi & corpori adgenerare novas partes materiæ, ne. ant. & conseq.

Dicis iterum : in pede hominis tam parùm advertimus operationes intellectuales, quàm in asino : sicut ergò rectè colligimus, non dari animam rationalem in asino, ita & in pede ; & certè gratis confingitur anima rationalis in pede, cum sufficiat sensitiva. Imò gratis superadditur sensitiva, cum sufficiat rationalis, de qua constat, quòd sit in homine. Pes est pars animata alicujus suppositi vitam rationalem viventis, non item asinus : etsi ergo colligi nullo modo possit anima rationalis in asino ; potest tamen colligi in pede, cum sit pars totius animati animæ rationali. Sed hæc sunt leviora, quàm ut illis diutius immoremur.

§. IV.

An successive saltem in eodem vivente plures sint Animæ.

Quæstio valde controversa est, utrùm in generatione viventis non detur successio animarum, an v.g. in foetu humano non prius sit anima vegetativa pro operationibus, quæ ab initio sunt tantùm vegetativæ ; deinde, cum organa sunt perfectiora, succedat anima sensitiva pro sensationibus, ac tandem infundatur anima rationalis : an verò statim, atque foetus incipit vivere, jam vivat anima rationali : Utrunque magna stat Authoritas ; probabilius tamen videtur, non dari successionem animarum. I. Quia hæc animarum multiplicitas sine sufficienti fundamento & necessitate asseritur ; quodcumque enim juxta Adversarios dantur sufficientes dispositiones pro anima vegetativa, ex natura sua, ut ipsi docent, ordinata ad hoc, ut præparet materiam pro sequenti nobiliore forma obtinenda, tunc hoc ipso materia jam est sufficienter disposita ad formam illam nobiliorem ultimam immediate recipiendam : ergo hanc immediate recipit, quia ad illam datur totus actus primus proximus. Antec. probatur, quia dispositiones illæ tales sunt, ut i. materia fiat per illas jam ali-

quo modo determinata ad formam ultimam, nempe ad animam rationalem, cum etiam juxta Adversarios per illas dispositiones materia sit determinata, non ad quaecunque animam vegetativam, sed ad talem, quæ exigit successionem animæ rationalis potius, quam cujuscunque irrationalis. Tales sunt 2. ut anima rationalis etiam possit aliquas operationes vitales sibi competentes elicere, nempe illas, quas eliceret ipsorum anima vegetativa: ergo dispositiones illæ sunt sufficientes; nec enim possunt Adversarii exigere, ut anima rationalis possit omnes operationes sibi proprias exercere, alias primum extra uterum infundi deberet.

2. Quia cum in homine, tum in brutis difficulter ostenditur, quomodo diversa successive anima producat; quis enim illam produceret in homine? quis in brutis? si enim, dum primum incipit ovum vivere, non jam vivat anima sensitiva, non facile hujus causam assignabis, cum solo calore excludatur pulvis. 3. Quia, ut patet ab inductione, nullum ens tendit ad sui destructionem; hæc autem anima vegetativa & sensitiva elaborando organa, ex natura sua directe tenderet ad sui destructionem, cum iis elaboratis ultimam dispositionem poneret pro anima rationali, quæ illam expelleret. 4. Quia per se absurdum videtur, matrem prius in utero gestare plantam, deinde brutum, & primum denique hominem; sed admissa animarum successione hoc sequeretur, nisi fiat quæstio de nomine: ergo. Hæ sunt rationes, quas afferunt hujus sententiæ Patroni.

Rationes opinionis contrariæ.

PRima, quæ est P. Mauri, sic proponitur: anima est actus corporis organici: ergo non potest esse, nisi in corpore organizato, organizatione conveniente tali animæ; sed embrio, cum primum incipit vivere, non habet organizationem convenientem animæ rationali, cum sit adhuc massa informis. Hic omisso enthym. distinguunt subsumptum: non habet organizationem convenientem animæ rationali pro omnibus operationibus etiam specificis animæ rationalis, qualem nec habet 30. aut 40. die, quo juxta P. Maurum infunditur anima rationalis, con. convenientem pro quibusdam saltem operationibus, etiam propriis animæ rationalis, prout ea est per identitatem anima vegetativa, negant. Si ita est, inquis, poterit anima rationalis poni in corpore leonino, cum etiam ibi possit vegetationes elicere. Id verò minimè; quia in leone non dantur organa inchoata, quæ possint perfici pro operationibus rationalibus, sicut dantur in foetu humano. Igitur ad infusionem animæ satis est, ut possit aliquas operationes exercere, per quas perficiantur organa ad operationes alias nobiliores & específicas suo tempore eliciendas; specialis enim viventium perfectio est, quod seipsa possint perficere.

2. Habetur ab experientia, quod multa animalia, quæ prius sortiuntur animam imperfectiorem, postea successu temporis perfectiorem acquirant, ut vermes aliqui, qui erumpentibus alis cum tempore evadunt animalia alata, & bombyx successu temporis in papilionem vertitur: ergo datur animarum successio. Hoc argumentum non directe pugnat contra opinionem propositam, quaritur enim, an detur successio animarum in generatione viventis à natura intenti, quæ intra uterum maternum, aut ovorum corticem peragitur; non verò de successione animarum in conversione unius totius completi animalis in aliud extra uterum maternum: quanquam probabilius videatur, etiam tunc

non dari mutationem substantialem quoad animas, sed tantum quoad formas partiales aut accidentales, ita ut inter bombycem & papilionem, ex bombyce ortum talis cum proportionem detur differentia, qualis est inter infantem & virum barbatum, ut proinde non diversa sit, sed eadem bombycis & papilionis anima: quod ex eo confirmatur, quia papilio ex bombyce ortus talia depōnit semina, ex quibus iterum nascitur bombyx, quod & in aliis vermibus & papilionibus evenit.

3. In hac opinione primis statim post conceptionem diebus debet infundi anima rationalis, cum non detur alia, quæ perficiat organa; hoc autem videtur durum, cum sic plures animæ per abortus pereant non perveniendo ad Baptismi lavacrum. Sed hic nullus statuitur terminus aut dies, quo creatur anima rationalis, sed hoc solum asseritur, illo tempore eam foetui infundi, quo ille est sufficienter dispositus, & exigit aliquam formam viventem; quando nempe ovulum, ut postea dicitur, virili spiritu imprægnatum, ita dilatatur, ut in eo peragi possint motus ad operationes vitales necessarii, quod quando & quo die fiat, planè nescimus, cum Medici & Physici plurimum inter se dissideant. Paulus Zachias docet, animam rationalem infundi statim in conceptione, quod plerisque aliis non probatur ob difficultates nec paucas, nec leves, cum Physicas, tum Theologicas. Multi tamen existimant, eam brevè post septimum diem infundi, cum nempe jam apparet foetus, & advertuntur organa pro homine inchoata cum aliquibus operationibus vitalibus: nam ratio in contrarium probaret quoque animam non infundi debere die 30. aut 40. sed tantum post infantem natum, cum plerique abortus diem 40. sequantur. Quomodo autem Deus possit hoc permittere, quæstio est Theologica; interim certum est, Deum velle omnes homines salvos fieri, quod si non fiat, puto ego, semper intervenire culpam aut incuriam hominum. Rursus plurimi nec immeritò existimant, quòd etiam huiusmodi infantibus melius sit esse, quàm non esse; unde sententia hæc potius Dei bonitatem commendat, quàm opposita.

4. In Jure Can. Cap. *Sicuti*, Causa 32. q. 2. dicitur: non committi homicidium ab eo, qui foetum occidit ante infusionem animæ, videlicet rationalis, eò quòd nondum dici possit, natum esse hominem: ergo sacri Canones supponunt foetum, priusquam animetur anima rationali, jam vivere alià vità seu animà, cum aliàs, si nullam haberet animam, utique non posset occidi. Deinde Theologi & Canonistæ docent, eum, qui procurat abortum ante 30. diem, peccare quidem gravissimè, non tamen incurrere irregularitatem, quam aliàs homicidæ incurrunt: ergo supponunt ante 30. diem non infundi animam rationalem, aliàs procurans abortum etiam ante 30. diem tanquam verus homicidæ incurreret irregularitatem. Et tamen certum videtur, quòd ante 30. diem foetus jam sit animatus, cum nutriatur, vegetetur, & fortè etiam sentiat, cum, ut aliqui dicunt, se contrahat, dum pungitur: ergo prius animatur alià animà, quàm rationali.

Respondetur cum Card. Pallavicino, Sacros Canones hanc quæstionem merè philosophicam, de qua nobis nihil revelatum est in Script. non examinare, sed utramque sententiam in sua probabilitate relinquere: proinde quælibet pars textum allatum explicare potest interpretatione, suæ sententiæ accommodata; prima quidem, quæ successionem animarum admittit, intelligendo per occisionem veram animæ alicujus, vegetativæ vel sensitivæ, expulsionem: altera, quæ negat, sumendo occisionem in sensu latiore, scilicet pro actu animationem foetus impediēte, ferè sicut B. V. à Christo dicitur redempta, non qua-

si à peccato originali vel actuali, quod contraxerat, fuerit exempta; sed quatenus per merita Christi, ne peccato involveretur, fuit præservata.

Ad id, quod additur, dicunt, Theologos id supponere tanquam probabile, non tanquam certum. Quamvis enim sententia negans successionem animarum probabilior dicatur, doctrina tamen Theologorum & Canonistarum est rationi valde consentanea; cum Ecclesia non velit, eum subiacere irregularitati, qui probabiliter non est homicida, qualis est ille, qui in sententia probabili de successione animarum procuravit abortum ante diem 30. Ecclesia enim in legibus poenalibus, cæteris paribus, sequitur sententiam reo favorabiliorem, quin idcirco statuatur, eam esse veriore; cum ergo utraque sententia sit probabilis, & affirmans successionem animarum magis faveat tali reo, potuit Ecclesia illam in lege poenali sequi, juxta regulam juris: *Favores sunt ampliandi, odia restringenda.* Quin imò sunt etiam Philosophi & Medici, qui licet non admittant successionem animarum, existimant tamen animam rationalem non infundi ante 30. diem, ac proinde foetum ante illud tempus aliter augeri, quam per nutritionem propriè vitalem; sicuti sunt multi Recentiores, qui docent, plantas, crines, & similia crescere & augeri sine anima informante.

Nec desunt in jure Canonico alii textus, qui faveant huic sententiæ. Sic in Cap. *Sicuti*, Extrav. de homicidis, legitur: *Si nondum erat vivificatus conceptus, ministrare potuit, seu rem Divinam agere* (scilicet Sacerdos abortum causans, de qua re ibi est sermo) *alioquin debuit ab altaris officio abstinere.* Ubi S.S. Canones etiam illum ut homicidam & irregularem agnoscunt, qui post foetum vivificatum causam abortus præbet: ergo videntur supponere, foetum non vivificari, nisi per animam rationalem. Accedit Rituale Romanum, ubi præcipitur, ut foetus, si motum vitalem edat, & vivus fuerit, baptizetur; ex quo colligitur, supponi ab Ecclesia, tunc temporis adesse verè ac sine controversia animam rationalem: atqui si daretur successio animarum, tunc ex motu præcisè non posset colligi præsentia animæ rationalis, sed tantummodo sensitivæ: non igitur datur successio animarum ex mente SS. Canonum.

5. Anima rationalis non debet poni in materia adhuc indifferente ad recipiendam organizationem hominis aut bestię; sed massa illa pendens ex utero adhuc potest, saltem per accidens, recipere organizationem bestię ac degenerare in monstrum irrationale, ut patet ex quibusdam abortibus: ergo. Ad hoc respondent, id quidem verum esse, si massa illa, ut vocant, sit ita indifferens, ut nullo modo determinata sit ad hominem potius quam ad bestiam: non item, si prima organorum conformatio humana sit; nam prima illa, etsi rudis delineatio humani corporis, ita est propria hominis, ut non possit competere alteri animæ imperfectiori, quam rationali, sicut juxta alios non potest competere, nisi tali animæ vegetativæ, quæ ad rationalem determinatè disponat. Potest tamen fieri, ut ex homine nascatur monstrum. Imprimis potest id solum, quod exterius apparet, esse monstrosum, cum nempe per accidens prima illa organa notabiliter distorta sunt, non tamen ita, ut cessent esse humana: & tunc revera datur anima rationalis, & talis foetus, si prodeat vivus, juxta Rituale Rom. baptizari debet. Quod si prima organorum conformatio, & dispositiones primitivæ ad animam rationalem defecerunt, tunc anima rationalis non infusa est, & solum prodit per abortum massa informis, quæ à potiori nullum dat vitæ indicium, neque meo judicio propter motum qualemcunque minimum absolute judicari potest viva, cum motus ille proficisci possit à calore & spiritibus inclusis, uti evenit in corde avulso adhuc palpitante. An verò, cum semel præ-

cessit

cessit anima rationalis, possit ea ob mutata notabiliter organa expelli, & introduci anima monstri, licet affirmet aliqui, non tamen credo: à quo enim produceretur talis anima? hinc est, quod in tali casu foetus prodeat mortuus. Quod si verum est, ut perhibent historiae, prodiisse aliquando ex homine monstra belluina, dicendum erit, illa traxisse originem à bestialitate; vel, ut de quodam monstro refert Delrio, ex Dæmone incubo, qui potuit semen bruti animatum in uterum matris transferre, ita permittente Deo in pœnam peccati, vel aliunde sperma bruti intervenisse.

6. Cetera animalia, quando generant, educunt ex materia formam substantialem similem suæ: ergo etiam homo, saltem aliquam formam substantialem debet producere, cum non minus virtute generandi polleat; atqui homo non potest ex materia educere animam rationalem, quæ à solo Deo creatur: ergo debet educere animam vegetativam ac sensitivam. Conf. si non datur successio animarum non potest assignari causa efficiens organa ad infusionem animæ requisita; nec enim potest esse anima rationalis, cum ad ipsam organa præsupponantur: ergo debet esse alia anima precedens.

De antecedente huius argumenti redibit sermo, ubi de generatione animalium: interim negatur conseq. si sermo sit de forma aliqua principali. Ipsi oppositæ sententiæ Patroni debent agnoscere paritatem non esse bonam; cum anima rationalis non possit animam sibi similem procreare, uti potest anima bruti: dicentne ergo, animam rationalem esse idcirco imperfectiorem? non credo: ego potius perfectiorem iudico, quia creari petit, non generari. Sic Angelus nec potest Angelum producere, nec animal; estne proinde isto imperfectior?

Perfectio certè non à sola foecunditate repetenda est, sed ab aliis prædictis intrinsecis. Nec tamen propterea sterilis est virtus generandi, qua pollet homo: cum immediatè, vel mediatè saltem, possit producere unionem, vi cuius dicitur generari homo: cum præterea producere possit formas partiales, quibus in suo esse integro constituitur homo: cum insuper ponat omnes dispositiones, quæ, dum alii volunt produci animam vegetativam, ejus locò exigunt creari animam rationalem, qualem exigentiam ad terminum tam nobilem non habet virtus generandi cæterorum animalium: ergo licet generatio bruti sit forsàn secundum quid perfectior per hoc, quod simile generet terminum sibi similem; generatio tamen hominis per hoc ipsum est simpliciter perfectior, quod tendat ad terminum adeò nobilem, ut per solam creationem produci possit. Ad Conf. Ipsi opposentibus incumbit respondere, quis formet prima organa pro anima vegetativa, quam communiter volunt produci 7. dic. Dicunt plerique, hanc primam organorum conformationem provenire vel ab anima matris, vel à virtute formatrice semini indita, quam plasticam vocant. Sed, ut verum fatear, nisi clariùs explicetur, quid sit virtus illa plastica, difficultas non tollitur: si enim talis qualitas sufficit ad prima animalis organa, poterit forsàn etiam dici, quod sufficiat ad elaboranda plantæ organa sine anima. Sed

hanc difficultatem examinabimus Contempl. seq. ubi de generatione animalium, & vita seminum.



§. V.

An Anima distinguatur à suis potentiis?

Potentia vitales numerantur à Philosopho quinque, nempe vegetativa, sensitiva, locomotiva, intellectiva & appetitiva: omnes in anima rationali, non item in reliquis inveniuntur. Hæ potentia dividuntur in organicas & inorganicas: Organicae sunt, quæ sine immediato influxu, activo vel passivo, cujusdam organi corporei nunquam operantur vitaliter; talis est locomotiva vitalis, vegetativa, sensitiva omnes, ut visiva, auditiva, &c. & appetitiva in brutis. Inorganicae sunt, quæ sine influxu saltem immediato ullius organi corporei operantur, ut intellectus & voluntas. Hæ potentia tam organicae, quam inorganicae subdividuntur in completas & incompletas. Completæ sunt totus actus primus proximus præsuppositus ad operandum, anima v. g. simul cum specie, decreto Dei, habitibus, organis, &c. atque has potentias non esse adæquatè cum anima identificatas, palam est. Incompletæ nihil dicunt in recto præter congenitam animæ virtutem ad operandum vitaliter, & de his à reliquo actu primo proximo distinctis, est præsens controversia.

Qua in re communior opinio contra Thomistas est, potentias vitales animæ, nec inter se, nec ab anima distingui realiter. Prob. 1. Auctoritate SS. Patrum. 1. S. August. tract. 15. in Joan. ait: *Intellectus non est aliud, quam anima.* Idem asserit S. Isidorus lib. 11. Etym. *Anima, dum vivificat corpus, anima est; dum vult, voluntas; dum intelligit, mens; dum recolit, memoria; dum aliquid sentit, sensus.* Adstipulatur Mellissius serm. 11. super Cantica, inquires: *Tria intueor in anima, rationem, memoriam & voluntatem, & hæc tria eandem esse animam.* Ita Patres alii, quibus consonat Aristoteles dicens, animam esse id, quo vivimus & movemur, & sentimus, & intelligimus.

Probant 2. ratione: quia natura tendit ad suos fines viâ, quâ potest, brevissimâ; brevior est autem via identitatis quam distinctionis: cur enim anima agat per potentias distinctas, quod potest per seipsam? 3. Anima influit immediatè in suos actus liberos: ergo est identificata cum sua volendi potentia. Ant. pater, quia aliàs non esset in se formaliter digna præmio vel supplicio, & tamen Script. dicit Ezech. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* 4. Omne principium appetitivum est necessario etiam cognoscitivum, quia ignoti nulla cupido; nihil volitum, nisi cognitum, juxta axiomata notissima; sed voluntas humana est principium appetitivum: igitur etiam cognoscitivum, atque adeo intellectus & voluntas inter se identificantur.

Pro sententia contraria hæc afferuntur argumenta: Voluntas est potentia libera, intellectus est potentia necessaria: rursus voluntas est potentia cæca: ergo distinguitur ab intellectu. Sed facilis est Resp. Voluntas est potentia libera, dum vult liberè, con. dum intelligit, negatur. Similiter intellectus, dum intelligit, est potentia necessaria; dum vult, est potentia libera. Nam eadem est anima, quæ vult, & intelligit: & relatè ad operationes intellectivas, dicitur intellectus agens necessariò; relatè ad volitivas saltem plerasque dicitur voluntas agens liberè. Deinde voluntas est potentia cæca formaliter, non realiter; cæca dicitur voluntas, quia dum concipitur velle, non concipitur cognoscere.

Utre.

Ulteriùs: potentia intelligendi & volendi sunt spirituales, nec indigent organo corporeo: e contra potentia sensitiva & vegetativa sunt materiales, egentque immediato influxu organi corporei. 2. Talis est causa, qualis est effectus; sed effectus à potentia sensitiva & vegetativa producti sunt materiales: ab intellectu & voluntate spirituales. 3. Absurdum est dicere, quòd auris videat, & oculus intelligat: ergo hæ potentia distinguuntur. Ut ejusmodi difficultates solvantur, non opus est, nisi ut præ oculis habeatur controversiæ status. Potentia sensitiva hominis sunt equidem materiales, si sumantur in recto concretivè pro complexo ex facultate congenita animæ, & simul ex organo corporeo, quo egent ut instrumento; non item, si sumantur in recto denominativè pro sola vitali facultate animæ congenita, de qua hìc est quaestio.

Deinde causa & effectus habent equidem similitudinem aliquam, non tamen perfectam, nisi causa sit univoca; nam in æquivoca potest effectus esse diversus; poterunt igitur etiam à potentiis animæ hominis prodire effectus diversi, spirituales & materiales. Exemplum habes in Deo, qui multos effectus producit materiales, & tamen purissimus est spiritus: item in Angelo, motum producente in rebus corporeis. Ultimum denique consequens sic distinguitur: hæ potentia distinguuntur, inadæquatè, con. adæquatè, negatur. Potentia organica constituuntur ex anima & organo: quod est ex parte animæ, si hæc sit indivisibilis, idem est in aure & oculo; quod autem est ex parte organi, distinguitur: ergo licet possit dici, quòd potentia animæ, quæ est in aure, videat; non tamen simpliciter dici debet, quòd videat auris.

CAPUT II.

De Vita.

Viventibus annumerantur communiter DEUS, Angeli, homines, bruta & plantæ: de quatuor prioribus quidem, quæ cognoscunt & appetunt, non est dubium; de plantis quoque Doctorum communis doctrina est, uti vidimus Contempl. II. nec enim vita ipsis denegari potest, nisi fiat quaestio de nomine, in qua tamen utique loquendum est cum pluribus: nam plantæ habent corpus organicum, quasi venis & arteriis distinctum, quibus sugunt & digerunt alimentum, illudque in omnes partes dispensant, nascuntur ex semine, speciem suam propagant, crescunt & maturantur, habent suum magnitudinis terminum: ergo habent indicia vitæ, seu tales motus, per quos conveniunt cum viventibus. Jam quaeritur, quid sit vivere?

§. I.

Conceptus Vitæ.

Vita in actu secundo est motio perfectè immanens, intentionalis vel organica: & hujus principium est vita in actu primo. Explicatur: per motionem immanentem intelligimus operationem, quæ tendit ad perfectionem operanti intrinsecam, quæ proinde per se provenit ab intrinseco, & suo principio

inhæret, vel per identitatem, qui modus immanendi perfectissimus est; talis est cognitio & amor, quo DEUS seipsum cognoscit & amat, qui actus Deo per identitatem sunt intrinseci: vel per unionem physicam, qualem cum suo principio habent cognitiones & volitiones creaturarum, quæ realiter distinguuntur ab ipsis. Immanentia autem per solam intimam præsentiam non sufficit; hinc operationes Dei ad extra non sunt vitales, quia duntaxat Deo immanent per præsentiam. Hæc vitæ definitio, etsi non sit univoca, quæ fortassis haberi non potest, sed disjunctiva, commoda tamen est & clara: non est ergo, cur aliam inquiramus.

Colligēs autem dari varia vitæ genera. Alia enim est purè intentionalis, qualis est vita Dei, cujus operationes vitales sunt purè intentionales, & à suo principio realiter indistinctæ. Alia est intentionalis physica, qualis est vita spirituum creatorum, quorum operationes intentionales vitales sunt à principio suo realiter distinctæ. Alia est intentionalis organica, qualis est vita animalium, quorum cognitiones, appetitus & sensationes, veluti operationes intentionales materiales, sunt dependenter ab organo corporeo. Alia est purè physica organica, qualis est in plantis, quæ per motum organorum sibi intrinsecum vegetantur: quod idem dicendum est de vegetatione & motu locali organico animalium. His omnibus & solis viventibus convenit definitio data: igitur admittenda.

Opponis tamen 1. In Deo non datur motus aut motio: ergo vel DEUS non vivit, vel vita malè explicatur. Conf. 1. omnis motio & operatio est ab aliquo principio operante, & in aliquo subiecto recipiente; in Deo respectu suæ cognitionis & volitionis, nec datur principium operans, nec subiectum recipiens: ergo. Conf. 2. Reliqua Dei attributa, uti aternitas, immensitas, non minùs Deo immanent, & ab ejus essentia promanant, quàm ejusdem cognitio & volitio: ergo etiam erunt operationes vitales. Resp. dist. ant. non datur in Deo motus entis imperfecti, con. perfecti, ne. ant. & consequ. Responso est S. Thomæ. Motus entis imperfecti definitur à Philosopho, actus entis in potentia, prout in potentia: motus entis perfecti est actus, qui physicè vel metaphysicè constituit operantem, in ratione actu operantis ad intra. Ad 1. Conf. dist. maj. omnis operatio est ab aliquo principio operante, & in aliquo subiecto recipiente, physicè vel metaphysicè, con. necessariò physicè, subdist. si sit operatio creata, con. si increata, ne. maj. & sic dist. min. ne. consequ. Ad 2. dist. consequ. sunt operationes vitales in sensu reali, con. in sensu formali, ne. consequ. omnia attributa realiter identificantur cum cognitione & volitione Divina, & cum Deo, qui est ipsissima vita; cum tamen nobis Deum representamus, ut immensum, æternum, non illum exprimimus sub ratione viventis.

2. Etiam ignis, lapis, crystallus nutriuntur, crescunt & augentur: ergo etiam vivunt. Conf. in aliis quoque datur operatio immanens, v. g. in magnete, in lapide deorsum cadente: ergo etiam ista vivunt sicut plantæ. Resp. dist. ant. nutriuntur improprie, & crescunt per juxta positionem & per accretionem independentem ab organis, con. per introsumptionem alimenti dependentem ab usu organorum, ne. ant. & consequentiam. Ellychnium, per quod ascendit oleum, non est organum igni proprium; sed est veluti canalis, per quem aqua prorumpit in fontem salientem. Ad Conf. dist. ant. in istis est operatio immanens, qualiscunque, con. organica, ne. ant. & consequentiam.

3. Potest Angelus cum homine penetratus movere linguam ad loquendum, pedes ad ambulandum; sed hæc motio est organica: ergo erit vitalis.

Conf.

Conf. Motus Angelorum localis, est vitalis, quamvis non sit organicus; ergo etiam prior vitalis erit, vel organa non faciunt ad rem. Resp. dist. min. hæc motio est organica, & non perfectè immanens, con. perfectè immanens, ne. min. & consequentiam. Utrumque ad motionem physicam vitalem requiritur, ut nempe fiat à principio intrinseco dependenter ab organis propriis sibi unitis; aliàs motio non est magis vitalis & immanens, quàm motus vestis in hominè deambulante, aut sonus organi pneumatici. Ad Conf. quæ est de nomine, dist. ant. est vitalis denominativè, prout substat actui voluntatis vitali, ipsum impetranti, con. est vitalis in se formaliter, ne. ant. & consequentiam.

Notandum hìc, actum vitalem recipi in illo principio vivente, à quo elicitur: unde si in homine actus sit spiritalis independens à materia, recipitur in sola anima: si dependeat à corpore, uti sensatio vel cognitio materialis, recipitur in toto.

§. II.

An Sanguis & reliquæ partes fluidæ vivant?

Partium animalis, saltem in latiore sensu acceptarum, quatuor classes enumerant Physici & Medici. Prima classis complectitur partes perfectè solidas & siccas, uti sunt ossa, cutis, nervi, venæ, dentes, rostra, ungues, pili, plumæ, squamæ, &c. 2. Continet partes perfectè fluidas & liquidas, quales sunt quatuor humores, nempe sanguis, pituita, & utraque bilis. 3. Comprendit partes medias, seu participantés aliquid de soliditate & liquiditate, cujusmodi sunt cerebrum, medulla spinalis & ossium, adeps, caro, &c. Ad 4. denique pertinent partes rejectaneæ, ut sudor, phlegmata, & fæces, quæ ejiciuntur, quamquam hæc nomen partis, nonnisi in latissimo & improprio sensu mereantur. Quæstio nunc est, quænam ex his partibus ab animalis anima informentur? qua in re suppono tanquam certum ex omnium consensu, partes velut excrementum ejectaneas non animari, cum illæ sint animæ penitus inutiles, & à natura rejiciantur, neque ulla operatio vitalis circa illas advertatur. De aliis jam disputatur, & imprimis de fluidis.

Qua in re probabilior opinio videtur, quæ dicit, sanguinem non vivere. Ita cum plurimis aliis Scholarum Principes Angelicus, Subtilis, Eximius, & teste Tannero etiam Aristoteles & Galenus cum pluribus Medicis, contra Cajetanum, Valentiam, Toletum, &c. Prob. 1. Nulla in sanguine deprehenditur operatio vitalis, nullum vitæ exercendæ instrumentum: ergo neque sanguis vivit, neque informatur ab anima. Prob. imprimis consequentia. quia anima non unitur alicui parti, nisi ut exerceat operationes vitales; nam ad accidentia & proprietates non vitales abundè sufficiunt formæ partiales & elementa, ut patet ex Contempl. II. III. & IV. Confirmatur ex communi doctorum & indoctorum sensu, qui per solam operationem vitalem vivens à non vivente distinguunt; ex hoc enim fundamento judicat Medicus, & Chyrurgus, an membrum sit vivum aut mortuum; ex eodem judicat hortulanus ramum arboris inanimem esse refecandum, &c. Et ratio à priori est, quia id natura non facit, quod neque est utile, neque necessarium ad finem naturalem ultimò intentum; talis est unio animæ, ubi nulla exerceri potest operatio vitalis: ergo.

Probatur jam antecedens. In sanguine nulla est operatio vitalis: non intellectio aut volitio, nec sensatio & appetitio materialis, ut patet: nec loca-

lis motio vitalis; quia sanguis non seipsum movet dependenter ab organis, quæ non habet; sed vel est motus ebullitionis, qui provenit à spiritibus calidis & subtilioribus, ut evenit in musto, & aliis fermentationibus: vel est circulatorius, & provenit à vasis sensim compressis & dilatatis, eodémque modo circumvolvitur per arterias & venas, quo chylus, lympa, acidulæ, potiones medicæ, aliique humores in corpore circumducuntur, quorum motus utique vitalis non est. Sed neque datur in sanguine nutritio, cum sanguis non aliter augeatur, quàm Isara illapsu rivulorum, nempe per meram appositionem novæ materiæ, uti & chylus in vasis lacteis, vel saliva in salivaribus. Neque etiam sanguis instruitur organis ad introsumptionem necessariis, non digerit, percolat, aut dispensat alimentum servata proportionem partium, non procurat figuram viventibus propriam, sed indiscriminatim induit figuram sui vasis. Confirmantur hæc omnia ex transfusione sanguinis unius animalis in aliud, ubi non apparet, quæ ratione hujusmodi sanguis amissa priori unione statim novæ animæ uniatur.

Probatur 2. Quia sanguis non videtur sufficienter continuatus cum partibus informatis ab anima, uti nec est pes abscissus & cruri contiguus, vel lymphæ per similes meatus decurrentes: quin imò tanta vis chyli, lymphæ & feri inutilis, aliorumque humorum aut potionum cum sanguine miscetur & circulator, ut necesse sit plurimas sanguinis particulas à reliquo sanguine separari, & rursus cum eodem continuari: ergo necesse est, nunc illas vivere, nunc emori; tot autem anastases, continuamque vitæ & mortis vicissitudinem, quis credat? Conf. quia sanguis est alimentum proximum vel remotum animalis sanguinei, ut communiter Physici & Medici consentiunt: ergo non vivit, cum primum per nutritionem transeat in substantiam viventis aliti per novam unionem cum illo.

Colliges ex dictis 1. propter easdem rationes, & quidem à fortiori, non vivere humores cæteros, scilicet pituitam, flavam, & atram bilem. 2. Nec vivere spiritus animales aut vitales, qui nil aliud sunt, quàm subtilissima sanguinis portio; nec etiam hi spiritus concurrunt, ut instrumenta viva ad operationes vitales, sed ferè veluti spiritus, quos ex balsamo vel aquis medicatis haurimus. 3. Neque lac, neque medullam ossium vivere, nec adipem aut sebum, quod in hoc ab adipe differt, quod sit firmitus, quia ex sanguine magis terreo & denso concretum. In his enim, uti in sanguine, non apparet operatio vitalis, nec vitæ organum.

Rationes Contrariæ.

Imprimis Levit. 17. interdicitur Judæis esus sanguinis; *Anima enim*, subdit textus, *Carnis in Sanguine est*: ergo sanguis vivit. Resp. ne conseq. Script. intelligitur à SS. Patribus in sensu latiore, uti ostendimus Contempl. II. ubi de formis animalium, ita ut anima sit in sanguine, vel causaliter, vel significantè, vel mysticè; si enim sanguis prohibitus fuisset, eò quod informaretur ab anima, neque carnibus, & aliis animalium partibus vesci licuisset. Eodem in sensu intellige dictum illud Poëtæ: *Purpuream vomit ille animam*; id est sanguinem, à quo dependet anima.

2. Omnis pars ad integritatem viventis pertinens informatur ab anima totius, quia unius totius unica est forma; sed sanguis est pars vivens, quia Conc. Trid. docet, sanguinem Christi Domini esse sub speciebus panis vi illius conne-

connexionis, & concomitantiae, quâ partes corporis inter se copulantur : ergo informatur ab anima totius. At prima propositio vera quidem est, si intelligatur de parte primaria, non item de secundaria. Per partes primarias intelligimus illas, quæ sunt unione physica connexæ & aptæ ad eliciendas operationes vitales, qualis non est sanguis, quamvis possit esse ad vitam hominis magis necessarius, quàm pes aut manus : Sanguis tamen numeratur inter partes secundarias, quæ constituunt integritatem animalis per mutuam exigentiam cum cæteris partibus etiam primariis, quatenus sine mutua quadam conjunctione non possunt naturaliter conservari : unde ex illis non resultat totum per accidens, in quo nec datur talis mutua partium exigentia, nec subordinatio uni formæ principali : & quamvis in toto homogeneo unica sit forma, non tamen in heterogeneo, qualis est homo, in quo satis est, si formæ partiales, aut elementares principali subordinentur. Ad id quod additur, dico, inde non aliud evinci, quàm sanguinem esse partem integram secundariam ; nec plus voluisse Concilium, exinde suaderetur, quòd dicat sub specie panis poni immediatè verborum integrum corpus Christi, sanguinem verò tantum per concomitantiam : ergo sanguis non est pars corporis integri, uti reliquæ partes animatæ.

3. Si sanguis non informatur ab anima, habet naturam à natura hominis distinctam ; hoc autem videtur falsum 1. Quia si sanguis habet naturam distinctam, sequitur, quòd Verbum se uniendo sanguini duas naturas assumpserit. 2. Quòd assumpserit naturam irrationalem. 3. Quòd Deus factus sit sanguis, sicuti factus est homo ; quæ omnia videntur malè sonare. Imprimis omnia hæc argumenta solvenda sunt contrariæ sententiæ Patronis, qui concedunt Verbum Divinum in triduo mortis fuisse unitum sanguini inanimato. Distinguendum igitur est : habet naturam distinctam, & ab eadem disparatam, negatur : non disparatam, sed eidem tanquam partem integraliter incompletam per se subordinatam, conceditur. Etfi sanguis habeat formam à forma hominis distinctam, constituit tamen cum reliquis partibus unam naturam humanam integram.

Hinc ad 1. dist. quòd assumpserit duas naturas disparatas, & ad unius naturæ integritatem non coordinatas, ne. duas naturas in ratione integri incompletas, & minimè disparatas, con. Ad 2. similis est distinctio, quòd assumpserit naturam irrationalem, in ratione integri incompletam, & naturæ rationali subordinatam, con. completam & disparatam, negatur. Ad 3. dico, quòd Verbum prædicari non soleat de partibus assumptis, sed tantum de toto : sic nemo dicit, *Verbum est materia prima, Verbum est anima, est os aut digitus* ; & in illo textu S. Joan. *Verbum caro factum est*, caro sumitur tropologicè pro tota hominis natura. Sed hæc ad Theologos. Interim omnes eandem difficultatem debent solvere in reliquis humoribus, qui secundum doctrinam Innoc. III. in Extrav. de celebr. Missæ, ad veram hominis constitutionem pertinent. Atque ex istis, & allatis probationibus solvuntur difficultates reliquæ, præsertim si notentur

ea, quæ dicturi sumus de sensibus externis & internis, aliisque animæ operationibus, in quibus multa concurrunt ad actus vitales, quamvis ipsa non vivant, ut aër, cibus, lux, species, &c.



§. III.

De Vita partium solidarum.

QUOD caro, nervi, venæ, viscera, muscoli, arteriæ, fibræ, cerebrum & medulla spinalis, atque organa omnium sensuum informantur ab anima & vivunt, communis ferè omnium opinio est. Ratio est, quia in his omnibus partibus multiplex sese ostendit operatio vitalis. 1. enim in omnibus vel plerisque ipsarum datur sensatio. 2. singulæ nutriuntur per introsumptionem alimenti, 3. sunt instructæ plurimis, atque minutissimis organis, quorum majorem in dies numerum ope microscopii rimatur & detegit Anatomicorum industria. 4. Hinc fugunt alimentum, suctum concoquunt & percolant, percolatumque dispensant in omnes partes, servant constanter certam partium figuram, proportionem & magnitudinis terminum. Quæ vitæ organa, licet in aliorum ossium medulla non observentur, observantur tamen in medulla spinali, quæ ejusdem est substantiæ cum cerebro: igitur ista vivunt omnia.

Præterea ossa, dentes, cartilago, rostra, cornua, ungues, capilli, plumæ, squamæ, & pili animalium, verisimilius eodem jure vivunt, ac plantæ. Ita post Arist. lib. 2. de gener. animalium, & Galenum lib. de ossibus, & administrationibus Anatomicis, S. Thomas in 4. dist. 44. q. 1. cum aliis plurimis. Rationes sunt eadem, si primam de sensatione excipias: nam illa omnia suis instructa sunt organis, nutriuntur per succum alimentarium, crescunt ad certum usque terminum & figuram, uti plantæ: ergo eodem vivunt jure.

Neque dicās, dentes pueris & senibus sua sponte excidere: ergo non continuari cum cæteris partibus, consequenter nec vivere. Hæc enim consequentia negatur. Uti fructus & folia satis continuantur, licet decidant, ita etiam dentes, quamvis decidant in pueris, quia ampliuntur alveoli, postquam dentes suam jam acquisierunt firmitatem; in senibus verò, quia defectu humoris exarescunt dentium ligamina, aut ea saluginoso humore corroduuntur.

At saltem capilli sunt humor rejectaneus, adustione caloris nativi intra poros solidatus & concretus, indeque à corpore expulsus: sed id quod tanquam excrementum expellitur à corpore non animatur, uti lachrymæ, sudor, &c. ergo nec capilli & ungues. Sed hic attendendum est, utrum humor rejectaneus, talis sit duntaxat respectu aliquarum partium nobiliorum corporis, an respectu totius corporis animati; excrementum in hoc secundo sensu utique non animatur, etsi animari possit in primo. Ut enim observat S. Thomas, dantur quidem in corpore viventis superfluitates aliquæ, ex quibus generantur sudor & alia hujusmodi, quæ expelluntur à natura, tanquam ad nihilum utilia; & dantur etiam aliquæ superfluitates, quas natura retinet ad generationem capillorum & unguium, quibus indiget ad membrorum conservationem: ergo materia unguium & crinium non est censenda prorsus rejectanea: quin potius, sicuti providi patresfamilias solent reliquias ciborum & vestium attribuire famulis tanquam inferioris notæ membris familiæ, sic provida natura solet alimentum, à cæteris quidem nobilioribus partibus rejectum, attribuire unguibus & capillis, tanquam partibus ignobilioribus, necessariis tamen vel ad vestitum, vel ad ornatum, vel ad custodiam. Lachrymæ autem & sudor nec sunt excrementum utile, nec organis instructum, uti ungues, pili, pennæ, &c.

Dicis tamen: ungues & capilli non habent certum magnitudinis terminum, nec aliter crescunt, quàm ignis aut lapis, nempe per juxta positionem & accretionem.

tionem. Deinde capilli & unguēs sēpius post mortem in cadavere vīsi sunt crescere: ergo illorum incrementum non est vitale. Primum negatur; patet enim contrarium in foeminis & viris, qui capillos vel barbā nunquam detondent; & quorū macropogonibus seu longibardis abiret barba, si nullum crescendi modum faceret? Quemadmodum ergo vites putatē felicius crescunt, certum tamen habent magnitudinis terminum, ita etiam capilli & unguēs, ut etiam patet in brutis. Alterum quod attinet, eandem imprimis difficultatem habent illi, qui dicunt, unguēs & capillos crescere per vim expulsivā animae, excrementa rejicientis. Alii, ut de Lugo, Comptonus, Isbrandus, putant, unguēs, capillos, &c. habere animā specialem distinctā ab animā totius; quā opinio multis videtur probabilis, si verum est, quod aliqui testantur Medici, nempe hujusmodi partes post mortem notabiliter crevisse, inter quos Paræus scribit, ultra 25. annos domi suae servatum cadaver furis, aromatis & balsamo conditum, cujus unguēs & capilli crebrius resecti semper redierint ad pristinā longitudinem. Similia ferē habet Isbrandus & Simesius. Sed casus isti sunt rari & portentosi, sēpiusque contingerent, si daretur animā distincta; cum tamen incrementum illud sit communiter nullum, vel modicum, & plerumque tantum apparens, quatenus nempe emacerata & consumpta carne, imae partes unguium antea sub carne latentes deteguntur; unde plerique non aliam in his animā admittunt, quā animā totius. P. Fabri e contra cum RR. uti nullam in plantis admittit animā, à succo, organis, aliisque intrinsicis motus principiis distinctā, sic nec in istis prius memoratis. Puto ego, viam iniri posse mediā, dicendo, animā totius primas operationes exercere & formare organa; postea verò augmentum fieri posse à variis aliis principiis tum extrinsecis, tum intrinsicis. Analogiam habes in herbis & foliis aridis, quae si aquae bullienti immergantur, rursus videntur sese explicare, virescere & augeri propter humorem fibras earum subeuntem: & hujusmodi causae etiam in vivente animali plurimum concurrunt ad augmentum; hinc quibusdam copiosius crescunt capilli, quā aliis. Atque ex istis solves reliqua, uti & ex dicendis Contempl. seq.

CONTEMPLATIO XII.

De Mundo vegetabili & sensitivo.

CAPUT I.

De Vita vegetabili in Plantis considerata.

§. I.

De potentiis animae vegetativae.

Anima vegetativa secundum ea, quae dicta sunt de anima in genere, definiri potest: actus primus corporis organici potentia vitam vegetativam habentis. Tres solent enumerari praecipuae ejusdem potentiae, scilicet nutritiva, augmentativa, & generativa: quibus assignantur tres praecipui actus, scilicet